



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Gregorio Theopolitano, hoc est, Antiocheno episopo, & intentata  
aduersus eum calumnia, & quomodo falsam illam redarguerit. Caput VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

E V A G R . H I S T O R I A E

denique maledictis figunt. Et quanquā erga vestigales gerabant se moderatius, quām barbaris solent, tamen erga socios & reip. ministros animo erat plane alieno. Nā neq; commeatum mensura, aut pondere accipere, neque diuersorijs sibi præstitutis contenti esse voluerunt, sed mens cuiusque cuique lex, & voluntas pro regula præscripta fuit.

*Quod cum rursus Philippicum imperator emitte  
rei, exercitus illum recusavit.*

Caput VI.

**I**mperator igitur mittit Philippicum, qui istas res consigeret: quem milites non solum non admiserunt, sed si quem eius partibus fauere suspicarentur, eum in gravissimum vitæ discrimen adduxerunt.

*De Gregorio Theopolitano, hoc est, Antiocheno  
episcopo, & intentata aduersus eum calunnia,  
& quomodo falsam illam redarguerit.*

Caput VII.

**H**IS rebus hoc loco cōstitutis, Gregorius Antiochiae episcopus, Constantinopoli domum reuertitur, graui confecto certamine, de quo iam dicturus venio.

Cum Asterius Orientis gereret præfecturam, & contentio inter eum & Gregorium orta esset, primum omnes ciuitatis primores, partibus Asterij se addixerunt. Deinde adiuncti sunt etiam ei, si qui populares erant, & artes exercebant in ciuitate (singuli enim se aliquid damni à Gregorio accusasse affirmabant) postremò plebi ut conuicia in Gregorium iacerent permisum erat. Ambō igitur, & optimates, & populares in eandem cum plebe quasi pedibus iniere sententiam: & tum in plateis, tum in theatro probra & contumelias in episcopum Gregorium intorquere non cessauerunt: quinetiam ne à Scena quidē talis absfuit petulantia. Quapropter Asterius abdicatur præfectura, ad quam administrandum Ioannes deligitur: cui imperator dabat mandatum, ut de seditione illa accurate inquireret. Hic Ioannes vir quidem erat, ne ad minima quidem negotia procuranda, sedum ad tam grauem prouinciam suscipiendam idoneus.

Itaque

Itaque cum ciuitatem tumultu ac perturbatione referisset, edictumque publicasset, cuique liberum esse pro arbitratu Episcopū insimulare, libellum contra eū à quodam argentario recepit, quo accusabatur cum propria sorore alteri viro in matrimoniu data rem habuisse. Recipit item ab alijs eius generis hominibus, quod prosperum ciuitatis statum non semel, sed sapienter labefactauerat. At Gregorius cum de eo se purgauit criminē, tum de alijs ad Imperatōrem & consilium prouocauit. Me igitur cum eo assiduè versante, praesenteque, iter capit Constantinopolim de criminibus hisce se purgaturus. Ac cum Patriarchae omnes, partim per se, partim per vicarios quæstiōni de Gregorio habitæ interessent, & causa esset coram sacro senatu, & multis sanctissimis primarum vrbium Episcopis cognita, post multas & graues contentiones secundum Gregorium sententia pronunciata est, ut eius accusator neruis excruciatus, & circum ciuitatē actus, exilio multaretur. Itaq; Gregorius inde ad suam sedem reuertitur: interea loci milites tumultus cire non desinūt, Philippico circiter Berœam & Chalcidem vrbem commorante.

*Quod iterum terræmotibus Theopolis concutiebatur.*

CAPVT VIII.

**Q**atuor mensibus post redditum Gregorij dilapsis, anno sexcentesimo, trigesimo septimo post nomen Antiochiae vrbī impositum, & anno sexagesimo primo post terræmotum, qui proximus ante in ea ciuitate extitisset, cum ipse pridie Calend. Octobris teneram virginē uxorem ducerem, & ciuitas propterea festum celebraret, & publicos conuentus cum pompa circiter thalamum iugalem agerent, tertia hora post crepusculum, turbatio & terræmotus simul cum impetu irruens, totam ciuitatem concutit. Multaque loca, conquassatis fundamentis, deturbat: adeò ut omnia ædificia circa Ecclesiam sanctissimam ad terram prosternerentur, excepto solo hemispherio, quod Euphratius ex lauro construendum curauerat, quodque terræmotu temporibus Iustini facto non parū accepérat incommodi, quod denique terræmotibus, qui deinceps acciderunt,

R. S. grauitat-